

/ Illustrissime Cardinalis. Accepi litteras datas Romae
ab Illustrissima Dominatione Vestra 30 Novembris una cum schedula
novae solutionis argumenti. Admonui statim typographos tempestivè
pro schedula, sed intempestive pro reliquo. Nam Parisiensi uteban-
5 tur exemplare, de quo Illustrissima Vestra Dominatio iure conqueri-
tur; admonui serio ut recurrerent ad Lugdunense Pilehotti cui bo-
nus P. Petrus Maturus maturam, et sedulam operam navaverat; se factu-
ros pollicentur in tertio tomo, secundum enim prope confecerunt.
Caeterum quando scripta Vestrae Illustrissimae Dominationis defen-
10 dimus, causam Dei, et Ecclesiae tuemur, ut iam in Gallia, et Anglia
idem sit Bellarminista quod Papista, quemadmodum antiquitus eodem
ponebatur Athanasii Confessio, et Fidei catholicae professio. Bar-
claius perditum quemdam librum recens edidit, qui valde iniurius
est et veritati, et operibus Illustrissimae Vestrae Dominationis;
15 respondendum illi censeo, quidquid dicatur à timidioribus, et forte
prudentioribus. Immittat pius Dominus eam illi mentem, quam fecit
hactenus; calamus enim eius calamus scribae velociter scribentis,
et qui amari sunt ori, cordi praedulces, et perutiles sunt libri,
supra quos effudit Deus suam benedictionem. Conservet Illustrissi-
20 mam Vestram personam Dominus, secundum quem sum illi.

Parisiis 18 Ianuarij 1613

Servus Humillimus, et Devotissimus

multis nōminibus

Petrus Cotonus Societatis Iesu.

15 Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Cardinali Bellarmino.
Romam.